



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De eadem re. x.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**



ter, quicquid diabolica fraude violatū est, in vnitate corporis Ecclesie tuæ, miserere domine gemitum eius, miserere lachrymarum eius, & non habentem fiduciam in tua misericordia, ad sacramentum reconciliationis mitte. Per dominum nostrum.

**P**ost hæc secundum modum culpæ poenitentiam ei iungat, & literas per parochiam dirigat, vt omnes noverint eum in societate Christiana receptum. Aliis etiam episcopis hoc notum faciat. Nullus autem episcopus aliter parochianum excommunicare vel reconciliare presumat, sine conscientia vel consensu proprii episcopi.

*Ne episcopi præcipientes sint aliquem excommunicare. Cap. IX.*

*Ex epist.*

*Euarist.*

*papæ, ca.*

3.

**D**eus omnipotens, vt nos à præcipientis prolatione sententiæ compesceret, quum omnia nuda & aperta sint oculis eius, mala tamen Sodomæ noluit audita iudicare, priusquam manifesta agnosceret, quæ dicebantur. Vnde ait: Descendam & videbo vtrum clamorem qui venit ad me opere compleuerint, an non est ita, vt sciam. Cuius exemplo monemur, ne ad proferendam sententiam vniquam præcipientes simus, aut temerè indiligerterque indiligenter quæque quoquo modo iudicemus.

*De eadem re. Caput X.*

*Ex synodo Melitensi, ca. 3.*

**V**t nemo episcoporum quemlibet sine certa & manifesta peccati causa, communionem priuet ecclesie. Sub anathema autem sine conscientia archiepiscopi aut coepiscoporum, episcopus nullum ponat, nisi vnde canonica docet autoritas: quia anathema æterna est mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimini, & illi qui aliter non potuerit corrigi.

*De eadem re. Caput XI.*

*Ex concilio.*

*Agathen.*

*cap. 4.*

**E**piscopi verò si sacerdotali moderatione posthabita innocente aut in minimis causis culpabiles excommunicare præsumperint, & ad gratiam festinantes recipere fortasse noluerint, à vicinis episcopis cuiuslibet provincie literis moneantur, & si parcere noluerint, à communionem confratrum vsque ad proximam synodum suspendantur, & ibi rationem profecto dent, ne fortasse excommunicatoris, peccatum excommunicati logo tempore morte præueniatur.